

35. *Sacrilega ergo fuerit licentia, quam sibi ausu proprio sumit Beza, scribens: Desit aqua, & tamen baptismus alicuius, differri cum ædificatione non possit, nec debeat: ego certè, quovis alio liquore, non minus ritè, quam aqua baptizarim.* Vol. Epistolarum. Ep. 2. scripta ad Thomam Tilium fol. 28.

36. *Cùm enim Aqua, ipsorum etiam sacramentariorum concessione, sit pars Essentialis Baptismi: consequens fuerit: mutatâ ac abolitâ parte ejus Essentiali unâ: ipsam etiam Baptismi substantiam mutari ac aboleri.*

37. *De parte altera, Cœlesti nimirūm, etiamnum controvertitur: Alij Baptismum aqua & verbo constare dictitant: alijs aqua & Spiritu: alii denique Aqua & sanguine Christi.*

38. *Et sane nulla harum sententiarum quicquam vel impietatis vel absurditatis in se continet: Et prima quidem, B. Lutherum etiam defensorem habet.*

39. *Altera sententia nititur assertione Servatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum Ioh. 3,5. Item enunciato illo Apostolico, quo Deus obligare nos, & arrhabonem Spiritus in corda nostra dare prædicatur. 2. Cor 1,22.*

40. *Tertia opinio hoc fundamento nititiur, quod omnis mundatio à peccatis debet fieri sanguine Christi: Sanguis enim Christi emundat nos ab omnibus peccatis. 1. Ioh. 1,7.*

Sunt